



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-429668-p0001-7

DFG

8818

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI

A N

ALIMENTA VIDVAE
EX BONIS MARITI ANTE DOTA-
LITIVM PRAESTITVM DATA
SINT LOCO DOTALITHI.

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

DIE XXV. AVGVST. ANNO CCCCCCLXX.

DEFENDET

FRIDERICVS AVGVSTVS HEINECCIVS.

OSTERFELD.

L I P S I A E
L I T E R I S R V M P F I I S.





AN
ALIMENTA VIDVAE
EX BONIS MARITI ANTE DOTALITIVM
PRAESTITVM DATA, SINT LOCO
DOTALITII.

§. I.

Quum antiquitati Germaniae placuerit, vt
transirent virgines, quas in matrimonio-
nium ducerent viri aequalis ordinis, ex
sua familia in familiam mariti, nec in
taetam reliquit curam futurae viduae, si solueretur morte
mariti matrimonium, ne deesset, vnde deinceps vidua vi-
ueret. Ex hac cura videbantur originem cepisse dotes
illae germanicae, quas teste **TACITO de Mor. Germ. Cap.**
XVIII. mariti suis offerebant vxoribus. Neque illae do-

A 2

tes



tes aliam videntur habuisse causam, quam ut exinde vxor vidua viueret. v. LVD WIG diff. de dote mariti, quaeque dos vidualitio seu dotalitio originem dedit. Dotalitii enim primaria causa fuit, ut in viduitate dignitatem suam tueri posset vidua, seu ut in vernacula standesmäßig leben. Distinguunt quidem HEINECCIVS in Elem. Iur. Germ. L. I. Tit. XI. §. CCXLIX. dolatum in allode constitutum, ab eo vidualitio, quod ex feudo praestandum. Hoc enim dari putat in compensationem dotis illatae in feudum, addit tamen: in futura alimenta. Est ergo generale quid in omni dote illa germanica et dotalitio, ut futurorum alimentorum viduae cura in eo deprehendatur. Neque Wittemon cuius in LEGE BVRGVNDION. GVNDEBALDI. Tit. LXIX. mentio sit, a vidualitio differre videtur. Neque antiqua versio Cantic. Canticor. c. 3. obstat, in qua legitur: Tho her himo selveno mahesda mit dem Wittemo sines helligen Bluedes. Vix enim intelligi potest de arrha illa sponsalitia, magis de illa largitione, quam suo sanguine fecerat sponsus, quo perpetuam sponsae conseruationem curaret sponsus. Hinc et apud Anglo Saxones dos Wituma dicebatur teste GRVPEN in uxore theorisc. Cap. II. §. 3. p. 43. vnde forsitan Witum pro dotalitio ponitur.

§. II.

Quidquid vero sit, cum non sit animus ipsam dotalitii veteris causam atque origines et mutationes amplissimo commentario illustrare, id enim non ferret institutio: hoc sufficiat, quanta etiam commixtio peregrini iuris cum patro facta sit, tamen, non plane in dotalitio adhuc cessare antiquam illam alimentorum rationem, experien-

perientia docet. Quamuis enim maxime dotis romanae ratio habetur in determinando dotalitio, quam dotem dotalitium absorbet, inque cuius locum dotalitium quatruplicatis usuris praestatur; tamen et promissionis et bonorum ratio simul habenda est. Quid enim prohibet, quo minus sponsus consensu eorum, quorum interest, sponsae indotatae dotalitium promittat, ab iis praestandum, qui vel heredes sunt sponsi promissoris, vel successores, qui olim consenserant, adeoque ex bonis familiae nexionibus. Neque prohibitiua lex est, quae sponsò admittit facultatem ex bonis suo arbitrio atque dispositioni liberae subiectis sponsae indotatae vidualitium constituendi. Ea enim iurium mixtura non finem dotalii immutauit, sed determinacionem tantum certam constituit.

§. III.

Videntur autem populares ex peregrini iuris applicatione in hoc mutationem passi, quod non amplius alimentorum viduae praestandorum necessitatem marito semper imponant; sed soluto matrimonio ipsi viduae suae sustentationis curam relinquant, neque amplius mariti hereditatem obnoxiam putent, ut ex ea viduae alimenta praestentur, quam quo usque sua vel illata vel donationem propter nuptias, vel quidquid a marito in testamento vel partis nuptialis relictum fuerat, obtinuerit. His vero non obstantibus, non prohibitum est iure, antiquissimorum morum rationem pacto adhuc firmare, quod fit, si dotalitium ad veterem rationem constituitur, quod postea viduae praestandum ab heredibus.

A 3

§. IV.



§. IV.

Hinc ex his praemissis facti speciem facilius decidamus. Titius sponsae suae in pactis nuptialibus consensu agnatorum, quamvis dotem non intulisset, ea intentione, ut post eius obitum, si ipse prior decederet eamque viduam relinqueret, haberet unde viveret, dotalitium constituit in eum modum, ut quotannis ex redditibus fundi certi CCC Vallenses ab heredibus soluerentur, addita praeterea in securitatem promissi hypotheca expressa eidem fundo iudicialiter imponenda. Postquam per quatuordecim annos utriusque coniuges in matrimonio vixerant, moritur maritus. Vidua, cui ex pactis nuptialibus dotalitium debebatur consensu agnatorum iam heredum defuncti mariti promissum, exercet ius retentionis in fundo mariti, in quo habitauerant, utriusque coniuges, partim ut interim alimenta habeat, partim, ut retento illo cogeret heredes ad exsoluendum dotalitium. Antequam heredes adeant hereditatem, singulaque conficiant, viduaeque dotalitium praestent, biennum abiit. Singulis annis vero per hoc biennium ex retento illo fundo viduantum CCC Vallenses acquisuerat. In tertium annum soluunt heredes CCC Vallenses promissum dotalitium. Vidua ex fundo retento rationes reddit, atque iis probat, se per biennium tantum CCC vallenfes accepisse, atque postulat, ut quae desint dotalitio per biennium, videlicet CCC Vallenses, praestentur ab heredibus. Quacumque itaque est, virum recte id, quod per biennium in dotalitio defuerit, ab heredibus peti possit, an vero illa alimenta ex fundo mariti retento capta, sine loco dotalitii.

§. V.



7

§. V.

Videtur quidem, vidua frustra quidquam petuisse amplius, quam quod iam acceperat, ob hanc quidem rationem: cum enim ea sit vidualitii ratio, ut ex eo alimenta obtineat vidua; iam vero alimenta, quamvis minori summa ex mariti bonis cuperit vidua, sine obtento cessare debere causam petendae summae, quae defuerat summae dotalitii. Quidquid enim ad finem certum definitumque constitutum est, illudque minori sumtu perfici potest, ut finis obtineatur, nihilominus ratum erit, licet non id impensum sit, quod determinatum prius fuerat. Itane et vidua per biennium ex mariti bonis CCC Vallensibus sustentata, contenta sit, quamvis debuisset CCC Vallensibus ali.

§. VI.

Sed recte, arbitror posse viduam adhuc in proposita specie CCC Vallenses ab heredibus petere. Recte enim monet PVTTERVS in Elem. Iur. Germ. §. 347. *a tempore mortis mariti, a quo computari incipiunt termini percipiendis dotalitii redditibus definiti.* Sequitur itaque ius perfectum statim viduam habuisse ad CCC Vallenses a mortis mariti tempore. Debebant ergo heredes CCC Vallenses. Neque vero propterea ab heredibus promissi dotalitii summa minui potest, quod minori summa alimenta habuerit vidua; tenentur enim integrum dotalitium praestare, in quod praestandum consenserant: cum praeterea viduae liberum sit, an omnes dotalitii redditus in sua alimenta impendere, an adhibita parsimonia velit sibi quidquam futurae forsitan necessitati reseruare, Non autem videtur vidua,



vidua, quae per biennium contenta fuerat, vel quod magis est, contenta esse debuerat CC Vallenibus, suo renunciasse iuri: quippe expectandum ipsi fuerat, donec causae hereditariae compositae fuerant, ut ex hereditate dein suum consequi possit. Nolle tam concedere, per biennium adhuc integrum dotalitium petere posse viduam, ac si, quae alimenta ceperat, praeter dotalitium accepisset. Nihil enim viduae debebatur, quam CCC Vallenfes, in quam summam recte ea computanda, quae ex fundo mariti obtinuerat.

T A N T V M.



VD18

ULB Halle
007 208 200

3





8818

1770, 24.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI

A N

ALIMENTA VIDVAE

EX BONIS MARITI ANTE DOTA-
LITIVM PRAESTITVM DATA
SINT LOCO DOTALITII.

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.

S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

DIE XXV. AVGVST. ANNO CICICCLXX.

DEFENDET

FRIDERICVS AVGVSTVS HEINECCIVS.

OSTERFELD.

L I P S I A E
L I T E R I S R V M P F I I S.

